



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Meinulphus C. 5. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

5. Octob. VITÆ SANCTORUM. 625  
*Prudenter sagittari, & impugnari sa-  
lubriter postulat sanctus, cum dicit in ora-  
tione, Confige timore tuo carnes meas.  
Optima timor iste sagitta, qui conficit  
& interficit carnis desideria, ut spiritus  
salvus sit. S. Bernard. serm. 29. in Cant.*

S. MEINULPHUS C. 5. Octobris.

**V**IX MEINULPHUS illa Christi  
verba audierat: *Vulpes foveas ha-  
bent, & volucres cali nidos, Filius autem  
hominis non habet ubi caput reclinet*, cum  
apud se constituit non solum Christo lo-  
cum in animo suo facere (ubi enim ille  
libentius nidularetur?) sed & templum  
ponere. Circumspicienti arcam, delapsa  
cælo in sylvas lux & cervas inter crucem  
cornu præferens cervus signavit. Eo igitur  
in loco Deo & virginibus sacris do-  
micilium, sibi tumulumstruxit: cui cum  
mortuus inferendus esset, ecce magnâ  
Virgine volente, tam diu vitæ restitutus  
est, dum res templi & coenobii compo-  
neret. Multò post apertus suâ sponte tu-  
mulus cymbalum ostendit, quo divus in  
sacris Minister uti solitus erat. Hoc dein-  
ceps, quoties virgo ex asceterio mori-  
tura erat, sonitu suo mortis insidias de-  
textit. Ipse Divus bis visus in somnis,  
bis è vitiorum veterno excitare clientem,  
qui à cubiculis illi fuerat, laboravit.  
Sed ille in utramque aurem dormivit.

R r

Ergo

Ergo terrum adest, & multis oburgans, quod mortis æternæ reus dormiret tantum, visionis non vanæ argumenta vaticinatur. Hic demum expectatus alter, & barbam sibi evulsam sentiens, credere monenti, resipiscere, ad templum *Miculphi* properare: & cum illic rudis ante, & nec primis literis tinctus, subito Latinæ linguæ peritiam accepisset, aræ ministris vel ideò se facilius sociare, quod attonsus jam à somno esset. *Ex Surio.*

*Cur non consideras, quia mundis in fine est? omnia urgentur; quotidie ad reddendas rationes aeterno & tremendo Iudici dicimur; quid ergo aliud nisi de adventu illius cogitare debemus? qui siue nolentes, siue volentes, per momenta, quotidie ad finem tendimus. S. Gregor. in Regist. l. 6.*

S. BRUNO CONF. 6. Octobris.

Quo tempore D. BRUNO Lutetia Parisiorum ingenium bonis artibus excoluit, vir è vitâ excessit princeps inter literatos, quiq; virtutis existimationem longè maximam post se reliquit. Sed eheu! quantam aberratis mali iudices hominum oculi! Dum iusta persolvuntur, ad illam canentis vocem: *Responde mihi, ecce tibi è capulo se defunctus tollit, & cum gemitu, Iusto, inquit, Dei iudicio accusatus sum; mox postridie, Iusto, exclamat, Dei iudicio iudicatus sum; de-*